


LVNÆ DIE 16 M. FEBRVARII A. 2009

A.d. XIV Kal. Martias a. MMIX

I 4 8

# M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIS  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451



AD LECTOREM

# DE BONIS CONSVENDIS

Dum a sapientibus vituperari non desinit humana societas consumptionis, ei, qui negotia gerunt, cives continue alliciunt novis vivendi facilitatibus novisque inventis. ¶ Anno 2008 inexspectata crisis argentina accidit, quæ crisin œconomicam induxit ; productio bonorum consumendorum valde minui cœpta est. Oportuit gaudere, sed e contrario omnes lamentantur et regimina omnibus modis productionem redintegrare conantur ! ¶ Inter effectus huius crisis, pessimus est crescens numerus hominum opere vacantium. Hac de causa non solum civitatum ærarium ære alieno magis obruitur, sed plures homines, iuvenes præsertim, cum non sint occupati, male se gerunt ceterisque sunt molesti. ¶ Inde patet bonorum consumptionem minui non posse sine maximo periculo, eo magis quod progressus technici iam efficiunt, ut ad quamcumque rem producendam semper pauciores homines necessarii sint. ¶ Verum ergo problema in nostris Occidentalibus civitatibus est hoc : quomodo fieri possit ut omnes homines aliquo officio occupentur. Nec solum agitur de viris, sed etiam de feminis, quæ sui corporis compotes tandem factæ, etiam pecuniam mereri volunt, ut sui sint iuris. Ne adumbratio quidem solutionis huius problematis adhuc exstat, solum inepta commenta. ¶ Sunt, inter alios, qui frugilitatem suadent nostris æqualibus. Certe in omnibus rebus adhibenda est moderatio ; μηδὲν ἄγαν, « ne quid nimis » iam est antiquum præceptum, sed proderitne nobis redditus ad pristinas vitæ condiciones ? ¶ Intra novissimum sæculum vitæ condiciones multo magis mutatae sunt quam intra duo millennia a Christo nato, quamquam non ubique terrarum. Ante primum bellum mundanum pauci tantum homines autocinetum habebant ; vectura aeria non exstabat ; integer mensis necessarius erat ad nuntium ex Australia in Europam ferendum. Longe ab Europa aberat America, quæ solum nave petebatur. Post alterum bellum mundanum, attractivæ novitates indesinenter apparuerunt, quibus decursu annorum plures pluresque cives fructi sunt, præsertim in orbe Occidentali. ¶ Etiam vituperantes sapientes autocinetu et aeroplano vehuntur, telephonum cellularum secum gerunt, televisionem spectant, ordinatio utuntur omnemque electricam supellecstilem domi habent. Cum usus scientiæ progressum nemini crimini sit dandus, perget exstare humana societas consumptionis, nisi aliqua inexspectata clades accidat. Hoc olim apud minores societas consumptionis iam accidit, sicut Romæ, cum barbari annonam prohibuerint aqueductusque rupissent, aut Lugduni, cum ab iisdem plumbei aqueductus siphones ablati essent. ¶ Ilya Prigogine, vir doctus præmio Nobeliano

chemiæ honestatus, duobus tantum verbis omnia viventia mirum in modum definivit : sunt, ait, « structuræ dissipativæ ». Duæ enim condiciones necessariæ sunt ut exstet vita : structura, i.e. efficiens elementorum compositio, et energiæ dissipatio. Viventia, addit Ilya Prigogine, sunt « energiæ transformatores » ; quo plus energiæ, i.e. alimentorum, absorbent, eo aptiores sunt ad energiam « in actu » restituendam ; si iam nihil consumunt, moriuntur. ¶ Humanæ societates viventibus similes sunt : quo plus energiæ consumunt, eo magis valent, agunt et præpollent ; hodierna mundi scæna hoc plane demonstrat. Occidentalibus tamen societatibus imminent pericula ; externa sane omnibus patentia, i.e. energiæ consumendæ penuria, sed etiam interna multo magis insidiosa, quæ ipsi societatis structuræ minantur. ¶ Duo pericula mihi præsertim videntur timenda. Primum est effrenata pecuniaæ cupiditas ; si, exempli gratia, ei adiungitur pseudoscientia mathematica et maxima imprudentia, causas tenemus hodiernæ crisis nummariae. Facilitas, qua nonnulli ingentem pecuniam faciunt, dum permulti paupertatem patiuntur, etiam nocet societatis humanæ stabilitati. Omnibus scientiæ inventis rationaliter frui decet ; at decetne duodecim dollariorum milia solvere pro singulis noctibus in deversorio Dubiano actis ? ¶ Alterum periculum est tædium, quo magis magisque afficiuntur orbis Occidentalis incolæ. Labor olim prædurus nunc factus est multo levior ; tempus labori deditum minui non desinit ; itaque supersunt vires et otium, quibus multi bene uti nesciunt. Permulti iuvenes perpetua musica, cervesia, vel, peius, psychotropicis hebetes redduntur. ¶ Quod est remedium ? Novas leges dare vix utile est ; qui enim non consentiunt, legibus deficere semper possunt. Qualitas civitatis, quodcumque est eius regimen, pendet a singulorum civium qualitate ; animorum autem qualitas præsertim in schola formatur. ¶ Infeliciter ibi, ubi iam laborare discere oportet, colitur nunc facilitas. Ibi, ubi pro singulorum ingenio oportet discipulos ad humanitatem erudire, contemnitur « intellectualitas » et vituperatur « elitismus ». Scopus hodiernæ scholæ videtur esse hic : minimum docere, sed aptum ad faciendam maximam pecuniam ! ¶

Gaius LICOPPE

## DE IOANNE ALFONSO BORELLI (1608-1679)

- *scripsit Victorius Ciarrocchi* -

**D**ie 28 Ian. 1608 Neapoli natus est Ioannes Alfonsus Borelli, cui parentes fuerunt Michael Alonsus de Varoscio, miles Hispanus, et Laura Borrello. Hoc nomen gentilicium Ioannes Alfonsus sibi elegit.

Quomodo is primos ætatis suæ annos degerit, pæne omnino ignoratur. Tamen constat Alfonsum anno 1630 Romæ auditorem fuisse Benedicti Castelli (1577-1643) adeo diligentem, ut postea, illius impulsu magistri, et Euclidis celeberrima *Elementa geometriae* et Apollonii Pergæi opus, quod est *De elementis conicis*, quibus in scriptis enucleandis egregiam Castelli navaverat operam, Borelli ipse commentatus sit. Qui ex anno 1639 in universitate Messanensi mathematicam docere cœpit, Franciscum Maurolicum secutus, virum Messanensem « fortasse maximum geometriæ cultorem inter omnes huius disciplinæ tunc temporis studiosos », adserit Humbertus Bottazzini (in libro c.t. *Scientiarum Historia*, Mondadori, Milano, a. 2006, vol. I, p. 132).

Haud dubie munere suo tam bene functus est Borelli, ut a senatu academico Messanensi facultatem acceperit itinera suscipiendi ad eas Italiae urbes, quarum in academiis disciplina ratioque mathematica non sine optimo exitu diceretur. Quare is Neapolim, Romam, Venetas, Florentiam se contulit, et nonnullis viris doctis, quorum geometricas mathematicasque investigationes non ignorabat, explanavit quid ipse de Euclidis *Elementis* censeret, quoniam eæ circiter huius operis quingentæ propositiones etiamtunc fons disciplinæ geometricæ vivus æstimabantur.

Anno enim 1658 in lucem prodiit opus Borellianum, c.t. *Euclides restitutus sive prisca geometriæ elementa, brevius et facilius contexta in quibus præcipue proportionum theoriæ, nova firmiore methodo promoventur*. Hoc enim viri Neapolitani opere novem in libros dispergit compendantur quindecim Euclidei.

Quo melius intellegatur quanam ratione sit hoc in scripto componendo usus Borelli, fortasse iuvat e procœmio depromptas legere sententias hasce : « Cum scientia sit certa et evidens cognitio rerum, et scientia sit progressus intellectualis ex notis ad ignota : procul dubio principia ex quibus ignotæ conclusiones deduci debent, oportet, ut sint notiora illis [...] In hac controversia quid ipse sentiam amore veritatis libere expnam. Quia definitiones esse non possent principia scientiæ, scilicet non producerent evidentissimam cognitionem nisi intellectui constaret earum certitudo et evidenter ; at nemo evidenter percipere dicet illud quod exprimitur verbis obscuris et ambiguis, sed oportet ut sint propria, clare et expresse significantia naturam passionis rei definitæ, et quare et quomodo distinguitur a qualibet alia ».

Putant quidam viri docti his verbis eam contineri scientiæ visionem plane cum illa Benedicti Castelli et maxime Galilæi congruentem. Huius enim summi astronomi ratio disciplinaque animum Alfonsi Borelli moverunt ut varias ipse perficeret investigationes, quarum Marcellum Malpighi (1628-1694), discipulum, socium, amicum habuit in Pisana universitate, « haud dubie summum sæculi XVII biologum », ut scripsit Ludovicus Geymonat (in opere c.t. *Philosophicarum et scientiarum doctrinarum historia*, apud Garzanti, Mediolani, a. 1977 ; vol. II, p. 536).

Anno 1656 Pisis mathematicæ docendæ munus tueri cœpit Borelli, dum in aliarum quoque rerum studiū sagax industriusque incumbit. Cumque varios corporum cælestium motus exquirere averet atque a Leopoldo Medici, patre purpurato ac fratre Ferdinandi II, magni Etruriæ ducis, qui ambo Ioanni Alfonso maxime favere cupiebant, diætas quasdam habitandas acciperet in Florentiæ « Palatio vetere » nuncupato et in arce Sancti Miniati sitas, quo filius his e locis cælum inspiceret (telescopio sex metrorum longo uti poterat), aliud opus ipse composuit, quod *Theoricæ Mediceorum planetarum ex causis physicis deductæ* inscribitur quodque duabus partibus constat, quarum prior maximi momenti habetur quippe quæ multas doctrinas astronomicas iam a Keplero, Brahe, Galilæo explanatas quodammodo colligat et clariorem in ordinem adducat.

Negat Borelli eis corporum cælestium motibus, qui « orbitæ » dicuntur, divinam esse originem ; nullamque adserit inesse differentiam corpora terrestria inter et cælestia ; insuper principium inertiae adfirmat. His aliisque de causis Isaacus Newton in opere c.t. *De mundi systemate* laudat Ioannem Alfonsum quoniam hic nonnullas summi Britanni viri doctrinas quadamnus præcesserit.

Anno autem 1667 maxime quasdam propter dissensiones, quæ Vincentium Viviani inter et Borellium ipsum ortæ erant, hic Messanam reversus est eodemque anno aliud opus edendum curavit, quod est *De vi percussionis*, quo multæ investigationes plerumque ad corpora inter sese collidentia spectantes continentur. Attamen non defuerunt qui huic viro adversarentur, ut patet ex opella quadraginta circiter paginarum, quæ inscribitur : *Responsio ad censuras R. P. Honorati Fabri S. I.*, in qua leguntur et hæc : « Et primo sicut haud miratus sum doctissimo philosopho peripatetico metaphysicis cogitationibus omnino addito displicuisse meam philosophandi methodum ab illis verbosis subtilitatibus alienissimam [...] ». Porro in præiudicatis opinionibus Honorati huiusque erratis

interpretationibus refellendis Borelli, cui veritas in primis maxime cordi erat, non sine quadam ironia procedit hunc in modum : « Absit tamen ut ego suspicer virum doctum, nobilem, religiosum et pium famam existimationemque meam invide maculare voluisse ; potius credo, ut ab initio dixi, quod Vir ingenio nimis igneo præditus aut oscitanter aut velocissimo cursu meum opus legerit [...] ».

Dum varias scientiæ provincias investigare is pergit – vir enim fuit acerrimo præditus ingenio, quare non modo geometriæ, sed etiam astronomiæ et medicinæ et chemiæ et physicæ nihil fere ipsi ignotum fuisse adfirmari potest – eandem rem, ad cuius explanationem librum supra memoratum dicaverat, ampliavit Borelli opere *De motionibus naturalibus a gravitate pendentibus* inscripto, quod, etsi novis careat inventis, nonnullas tamen observationes continent de barometro deque aeris pressu minime spernendas.

Quoniam anno 1669 magna Ætnæorum ignium eruptio acciderat, de qua viri docti Itali aliarumque Civitatum plura scire cupiebant, librum non ita amplum composuit Borelli *Historia et metereologia incendi Ætnæi* inscriptum, tamen sententiarum adeo penitiorum plenum, ut huiusc scripti auctor a nonnullis viris primus vulcanologicæ disciplinæ studiosus æstimetur.

Aliud opus gravissimum, quo omnes fere Ioannis Alfonsi de rebus mechanicis, physicis, medicis investigationes continentur, est *De motu animalium*, cuius duæ partes editæ sunt annis 1680 et 1681. Et quamvis nonnullæ Borellianæ adffirmationes iam tunc erratae essent, nihilominus hoc opus inter maxima adnumrandum est, quæ de animalibus eo sæculo scripta sint. Pauci enim viri docti, qui in illius disciplinæ studium incubuerint, methodum investigandi biologicam tam diligentius adhibuerunt, sicut ipse fecit, cui adstipulati sunt amici quidam et discipuli haud pauci ; quos inter eminuit Marcellus Malpighi, qui non solum opere *De viscerum structura* inscripto eandem viam ad secreta anatomica patefacienda ingressus est, quam ipse vir Neapolitanus aperuerat, sed huic « Pisis matheseos professori celeberrimo » etiam binas epistulas graviores miserat, quibus titulus *De pulmonibus observationes anatomicæ* (Bononiæ, apud Io. Baptistarum Ferroni, MDCLXI). Atque propter ea, quæ in pulmonibus investigandis Malpighi detexerat, etiam Alfonsum Borelli laudandum is putavit, quia – en Marcelli ipsius verba – « quæ superiori epistula tetigi de pulmonaria miscella, tu ipse visus es apprime deprehendisse, nec celeberrimo tuo hoc invento mens est fraudanda, quod humanitate tua ad me exaratis litteris commisisti [eqs] ».

Borelli tamen postremos vitæ suæ annos, cum coniurationis cuiusdam adversus regimen Hispanicum susceptæ particeps fuisse argueretur, ideoque eius bona publicarentur, primum in Calabria (ubi fortasse rumor ortus est eum Thomæ Campanella filium esse), deinde

in Urbe degere coactus est. Heic hospitium invenit apud patres scholarum piarum, qui non sine auxilio pecuniario etiam a Christina, quondam Suetorum regina, erogato, quia verisimiliter hæc docta mulier ob gravem qua Borelli conflictabatur indigentiam commota erat, nihil intentatum reliquerunt ut opus illud, etsi postumum, tamen ederetur.

Nam Ioannes Alfonsus Borelli pleuritidis morbo correptus die 31 Dec. 1679 mortem obiit et, sicut exoptaverat, in ecclesia eorum sodalium sepultus est. Magna epistularum pars, quas Borelli miserat atque acceperat, et alia eius scripta, variis in bibliothecis etiamnunc inedita iacent.

In universitate Messanensi adservatur inscriptio hæc :

IOHANNES ALPHONSVS BORELLIVS  
GALILEVM ITA SECVTVS NEWTONVM ITA ANTEGRESSVS  
VT INSTITVTA NONNVMQVAM ÆMVLARETVR  
LAVDDEM ALIQVANDO PRÆRIPERET  
OMNIVM QVI STVDVIT NOSSE RERVVM NATVRAM ET CAVSAS  
IN MEDICINA ELABORAVIT NVMEROS ET CÆLESTIA TRACTAVIT  
IN HOC STVDII ATQVE DOCTRINÆ DOMICILIO  
MATHEMATICA DOCVIT AB ANNO MDCXXXIX AD ANNVM MDCLVI  
CVM ADVENTICIAM DOMINATIONEM LABEFACERE VOLVISSET  
IN EXSILIVM PER VIM ET FACTIONEM PVLSVS  
INVESTIGANDO SCRIBENDO DOCENDO SVMMA GLORIAM CEPIT  
IN SVMMA INOPIA MORTEM OBIIT  
HVC EX MORTE REDI PROCERAS VNDIQVE PALMAS  
CRESCERE QVAS OLIM SEVERIS IPSE VIDE

Atque in Romana ecclesia sanctorum Pantaleonis et Iosephi Calasanzio legi potest inscriptio hæc :

IOH. ALPHONSO BORELLIO  
NEAPOLITANO  
PHILOSOPHO MEDICO ET MATHEMATICO  
CLARISSIMO  
QVI AD CATHEDRAS MESSANEN. PISANAM  
ET FLORENTINAM VOCATVS  
ILLVSTRIA EDIDIT OPERA GEOMETRICA  
PHYSICA MECHANICA ET ASTRONOMICA  
ROMÆ IN ACADEMIAM CHRISTINÆ  
SVECORVM ET GOTORVM REGINÆ ASCITVS  
ET ANNVO CENSV AVCTVS  
A SCELERATISSIMO FAMVLO EXPILATA DOMO  
IN ÆDES SCHOLAR. PIAR. APVD S. PANTALEONEM  
SE RECEPIT  
VBI ALVMNOS RELIGIOSOS IN MATHEMATICIS  
STVDIIS BIENNIO INSTITVIT  
HEIC ADMIRANDVM DE MOTV ANIMALIVM OPVS  
ABSOLVIT SIMVL CVM VITA PRID. KAL. IAN. MDCLXXX  
ÆTATIS SVÆ LXXV [sic !]  
CLERICI REG. SCHOL. PIAR.  
MAGNO HOSPITI  
H. M. PP. ■■■

# PERIPEDEMI PERIEGESIS

## PER TERRAS SOMNIANTIVM ET VIGILANTIVM (II)

– *scripsit Bradlius Walton –*

### III. PHYSICLÆ

**D**eistia egressus, et deo inutili nihilque curante libenter solutus, simpliciorem magisque sibi cohærentem mundi notionem gaudens prospexi. Cum paucisper descendissem, conspicatus sum, quo longissime oculi conspectum ferebant, urbem permagnam, in declivia montis tamquam profusam, domiciliis et foris innumeris expletam, arcibus florentem, hic illic hortis virentem, viarum ambagibus implicatam, hominum multitudine discurrentium micantem, autocinetis concitatis et ædificiis struendis strepitantem, totamque fabricis fumantibus circumdatam.

Physicia maior, frequentior, ditior fuit Theistia Deisticae coniunctis. Munere igitur quæstuoso mox parato, post sex menses satis pecuniaæ feceram, ut, liberali stipendio scholari addito, studiosus physices chemicesque inscriberer academiæ, cuius dictum fuit *philosophia naturalis, nisi sola, summa*. Ibi decanus me vitam præteritam interrogavit, et, cum dixissem, me natum esse Theistiæ, Deistiam coluisse, utrumque locum propter philosophiam improbasse, delectari videbatur. Me docuit deum, ut persuasum haberent cives Physicienses, non esse ; materiem esse æternam, nec quicquam aliud præter eam esse ; rerum universitatem esse compositionem clausam et æquibilitatem causarum et effectuum, qui ferrea legum naturalium necessitate operentur ; si sit altera causa, fortunam esse ; homines esse machinas multiplies ; indolem humanam esse mutuam elementorum chemicorum et physicorum operationem ; animam humanam morte extingui ; historiam esse quoddam flumen, quo evenientia inter se quidem vinciantur causis effectibusque, sed significatione careant ; homines comminisci fines morales, quorum nulli votis humanis absoluti sint.

Quarum doctrinarum multas comperi duras, et cum hæc, quæ ad animæ mortalitatem attinebat, durissima mihi videretur, quæsivi ex decano, an ille exspectatione animæ mortuæ turbaretur. « Minime, » inquit. « Si vitam egeris expletam, nihil habebis, cur mortem timeas. » Locutionem *vitam agere expletam* non satis intellexi, quæ mihi ante ignota nec *bene vivere* nec *beate vivere*, sed *vitam agere experimentis, eisque plerumque iucundis, refertam* significare videbatur. Cum tamen nollem nimis percontationibus molestus esse, tacitus loquentem auscultabam et, dum *vitam expletam* disserere pergit, observavi elegantem eius synthesin, ventrem pinguem, graphemum suppellectili pretiosa instructum, photographema uxoris natorumque in mensa statutum. At cum reputassem puellam unicam, quam dilexeram, calamitate ante peremptam quam

vitam vix inceptam explere posset, innumeris in se suosque familiares et populares beneficiis infectis, non potui quin animam morte extinctam dolorem. Cum confessus essem, me non nimium tranquillum contemplari totum animæ interitum, « hem, » inquit decanus, « cum Theistiæ educatus sis, te oportet cogitare utrum potius sit, funditus extingui an æternis supplicii addici ». « Ut puto, » inquam, « malim funditus extingui. At potissimum velim ad æternitatem beatam recipi. » Decanus oblectatus et despiciens risit, et « age, » inquit, « tibi academiam et urbem ostendam. »

Dum lustramus campum academicum, deinde propinquas urbis vicinas, eruditos decani sermones in animo volvebam et, « rogo, » inquam, « cur dicis materiem esse æternam ? » « Quia » inquit, « nihil ex nihilo fit. Materies omnium, nihil materiei, fundamentum est. Ergo materies semper fuit. » « At » inquam, « nonne potuit deus materiem facere ? » « Cur » inquit, « deum proponis ? Orbem quidem materialem, sed non deum, videmus. Nonne naturalius est sumere materiem semper fuisse, quam nescioquem deum materiem fecisse ? Proponere deum creatorem est multiplicare entia præter necessitatem. Utcunque res se habet, indicia eius existentiæ non sufficiunt. » Quibus auditis memineram Theistienses docere, testimonia dei existentiæ hominibus credere invitis numquam sufficere. Sed propterea quod et doctrinas Physicienses intellegere contendebam, et sumpsi, Physicienses, sicut Deistienses, non ducere homines esse lapsos, tacui. Tum « quid » inquam, « de fragore magno ? Nonne licet dicere, illa maxima displosione materiem esse incepisse ? » « Licet. » « Nonne igitur licet etiam dicere, deum effecisse, ut fragor magnus fieret ? » « Minime. Si deus fragorem magnum fecit, necesse est, ut deus ante fragorem magnum, ante quem nihil fuit, fuerit. » « Unde igitur, » inquam, « fragor magnus factus est ? » « Ex nihilo » inquit. « Sed putavi te dixisse, nihil ex nihilo fieri posse. » His dictis aliquid murmuravit explicatio-nis, quam, cum audire non potuissem, rogabam ut iteraret, cum totum argumentum manu iactata misit. Tandem « quæso, » inquam, « si nihil orbem materialem superat, unde et quorsum affectus religiosi ? » « Aut sunt, » inquit, « quædam selectionis naturalis artificia, quæ integrati nostræ inserviunt, aut eventus fortuiti e chemia cerebri. Hi tamen affectus non ad nihil pertinent. Tantum circumspice. Infinita mundi magnitudo et multiplicitas contemplationem tam excelsam excitat quam quelibet orbis supernaturalis perceptio commen-ticia. Natura suspetit admirationi sacræ excitandæ, neque ea rebus divinis est inferior, cuius existentiam multo plenius et certius cognovisse possimus. »

Iam adveneramus ad urbis terminos, unde mons præcipitatus est in implicationem faucium tenebricosarum. Illuc coniectis oculis, conspicatus sum urbem umbris et caligine obductam, cuius ædes in declivibus, sicut apium examen in alveari, hærebant. Conspexi homines tenui quidem sed perpetuo ordine insistere viæ, quæ urbes coniungebat, sarcinas ferentes, Physiciam, ut liquebat, reliquentes, et in umbras incedere. Nec vidi quemquam ex altera parte reverti. « Attat, » inquit decanus, « oblitus eram qua via ambularemus. Hinc abeamus. » « Di immortales, » inquam. « Quid est illud loci ? » Decanus horrescens « civitas est » inquit, « cuius cives credentes, omnia nihil esse, barathrum et montis et animæ incolunt. » His dictis, vultu tristissimo aversus me ad academiam reduxit.

Strenue incumbebam in studia physica ac chemica, cum calamitas accidit. Quidam iuvenes blandi et gratiisi, qui videbantur amicitiam meam conciliare velle, me docuerunt novos studiosos, qui sodalitati suæ coniungi vellent, probando esse. Itaque me duxerunt ad popinam nonnullis cerevisiæ sextariis firmandum. « Ædes administratorias » inquiunt, « hedera scandes usque ad fenestram graphei decani, quod ingressus pondus crystallinum in mensa chartis premendis statutum, subripies. » Media nocte oboediens pensum haud facile ebrius, sed tandem feliciter, absoluvi. Cum reversus ad dormitorium pondus protulisse, sodales me successu exsultantem maxima gratulatione et renovato bibendi certamine honoraverunt. Convivio tandem soluto, imperaverunt, ut raptum in cubiculo meo celarem.

Bacchus iuvenem non magis ebriat gregalem, quam grex comitum res celebrans honore gestas. Virtutis origo est parium cupidio plausus. Sed non igitur, laude quod afficeris, amaris : peregrinus ego, nec patria gregi venusta, invisus eram, meque animo meo sodales iam consilium conseruere ut irrumarent.

Proximo vespere a cena reversus vigiles in cubiculo inveni. Quorum principem ubi conspexi pondus crystallinum manu tractantem, « veniam rogo, » inquam, nutu capitis pondus agnosces, « initiandus fui. » « Pondus, » inquit, « non curamus. Hæc tamen nobis curæ sunt. » Aliquot prodidit chartas, quas inspiciens statim intellexi ultimas esse physices chemicesque probationes.

Quid factum esset facilius conieci. Sodales me pondus subripere ideo iusserant, ut imagine mei grapheum intrantis photographice impressa, latrociniï incusareret.

Quidam enim socius custodibus asseruerat, se in hortis academicis forte ambulantem mei conspecti muros scandentis pelliculam machinula digitali mirantem fecisse. Cum, pondere crystallino surrepto, ad dormitoria rediisse, unus e sodalibus grapheum ingressus probationes furatus est. Sodales, cum probationes phototypice exscripsissent, archetypa in dormitorium meum eo abdiderunt, ut ego sceleris insimularer, si prius chartæ invenirentur erepta esse, quam redderentur.

Quandoquidem latrociniū chartarum strenue negabam, vigiles me certiore fecerunt, cognitionem habendam esse mihi reperiendum legum discipulum, qui causam defenderet. Ad collegium igitur legum me contuli, ubi quidam iuris studiosus mihi digito monstravit grapheum advocati, nomine Gaii, qui causis dicendis vacabat. Is comiter salutavit, sed oculis per fenestram coniectis in postremam æstatis deficiens viriditatem, narrationem meam vix auscultavit. « Quicquamne, » inquam irascens, « a me dictum audisti ? » « Quid ? » inquit, quasi a somno expergefactus. « Mene » inquam, « auscultasti ? » « Minime, » inquit. « Ne verbum quidem. Nec tamen interest. Etiamsi enim nihil de causa sciam, tibi tamen iudicio vincam. » « Non parum » inquam, « tibi confidis. » Gaius humeros allevavit.

Cum die cognitionis sollicitus ad iudicium pervenisset, inveni Gaium quam incuriosissimum sedentem, verbis decussatis incumbentem. « Pertimesco, » inquam. « Tot sunt in me testimonia, nec quisquam sodalium verum dicet. » « Noli angi, » inquit quasi tædio confectus. « Me causam defendantे absolveris. »

Convenerunt iudices, cuncti scientiarum naturalium et socialium professores. Quidam physicus, qui iudicio præfuit, « adulescens, » inquit, « argueris latrociniū probationum... » « Exceptionem peto, » inquit Gaius. « Quomodo petis ? » inquit physicus miratus. « Nonne istud crimen est ? » « Istud » inquit Gaius, « sane crimen est, sed estne pravitas ? » « Quid dicere vis ? » « Iudices, » inquit advocatus, « si causam ita dixeris, ut rationaliter dubitetis, non solum an reus scelus commiserit, sed etiam, etsi id fecerit, quod fecisse arguitur, an suppicio dignus sit, nonne eum absolvetis ? » « Absolvemus » respondit physicus. « Ergo » inquit Gaius, « primum demonstrabo reum, etiamsi scelus commiserit, vacare culpa, deinde non posse statui extra dubium, utrum scelus fecerit necne. » « Perge » inquit physicus.

« Ergo » inquit Gaius, « ea, quæ attinent ad culpam, ingredior. Iam omnes rerum naturæ periti estis, immo sumus. Ego enim doctor physices ante creatus sum, quam legibus studebam. » His auditis iudices tanta et

Gaii et sui probatione subriserunt, ut gaudens hac tam perita ac felici benevolentia captatione optima sperarem. « Ne philosophus quidem » inquit Gaius, tamquam iocum arcessens, « ad hanc cognitionem vocatus est. » « Philosophi » inquit physicus, « non sunt philosophi naturales, sed mentis nugatores, qui scientiam non efficiunt, sed rationis crepundia. » Omnes tanta delectatione riserunt, ut lætitia fere gestirem. Tum Gaius « iam, » inquit, « iudices, nonne scientiarum periti agnoscamus, nihil esse præter hanc rerum universitatem ? » « Agnoscamus. » « Ergo principia moralia e natura petenda sunt. » Iudices adsenserunt. « Quomodo igitur, iussa et interdicta moralia e nudo naturæ facto deducimus ? Unde paramus *debet ex est* ? » Iudices commoti, « ignoramus » inquiunt. « At sunt rectum morale et pravum. » « Itane est ? » inquit Gaius. « Si asseverare vultis, *debet* et *oportet* vulgo dici, verum scilicet dicitis. Hæcne tamen vocabula quicquam significant ? Si sola rerum natura est, unde *oportet* depromittur ? » Ceteris iudicibus tacentibus, anthropologus « ei mores » enuntiavit, « observandi sunt, qui saluti et civis et civitatis inserviunt. » « At unde, » inquit Gaius, « hoc præceptum morale, observandos esse mores, qui saluti et civis et civitatis inserviant ? Præterea, estne verum ? An oportet observare eos mores, qui saluti inserviunt civitatis iniustæ, crudelis, tyrannicæ ? Nonne laudamus eos cives, qui, exempli causa, non solum civitati Nazisticæ non inserviebant, sed etiam causa civitatis evertendæ salutem suam neglexerunt ? » « Laudamus, » inquit anthropologus. « Nonne » inquit Gaius, « inter cives, nedum inter gentes, mores discrepant ? » « Discrepant, » inquit anthropologus. « Quomodo igitur, » inquit Gaius, « eligimus mores observandos ? » Anthropologus respondere quidem conatus est, sed postquam pauca locutus in suum *inserviendum et civi et civitati iterum* incurrit, sententia abrupta conticuit. « Noli turbari » inquit Gaius, « ipsissimus Einsteinius se asseveravit, ne ullum quidem pretium morale e scientia naturali deduxisse. Ergone cuiusnam nos pudeat ? Quodsi ex nudis rerum naturæ factis non invenimus quemadmodum pretium morale constituatur, quomodo dicere possumus id, quod reus fecerit, si fecerit, culpandum esse et poena dignum ? » Iudices ita contraxerunt frontes, ut spes mea deficeret.

« Fortasse » inquit physicus, « nos oportuit in hanc cognitionem philosophum vocare. Sed nihil interest. Dissecto huius disputationis nodo, summus iudex dico, probationes furari pravum esse poenaque dignum. Si dissentis, eruditissime iurisconsulte, licet tibi aliam iuris scholam petere. » Quæ cum animo cadente audi-

vissem, putavi de me actum esse. « Haudquaquam, » inquit Gaius, « dissentio, o iudex, et gratias tibi ago. Attamen, si concessum est, latrocinium probationum esse pravum, quæro quomodo sciamus reum probationes furatum esse ? » « Testimonia » inquit physicus, « gravissima sunt. » « At non tam gravia, » inquit Gaius, « ut refelli non possint. » « Cur ita credis ? » « Quia nulla sunt testimonia, quin refelli possint. » « Quid dicere vis ? » inquit physicus irascens. « Nonne » inquit Gaius, « omnia fiunt, ne dicam eveniunt, ex causis chemicis et physicis aut necessitate aut fortuna operantibus ? » « Planissime, » inquit chemicus. « Ergo » inquit Gaius, « quomodo cognovisti ea, quæ scis, utrum vera sint an fallacia ? » « Explica, quæso. » « Nonne » inquit Gaius, « perceptio et cognitione eadem ac cerebrum sunt, vel ex cerebro eveniunt ? » « Ita. » « Et cerebrum evenit e materie legibus suis operanti ? » « Ita. » « An materie interest, utrum necne adducat intelligentiam humanam ad veram cognitionem et perceptionem ? » « Minime gentium. » « Quomodo igitur, » inquit Gaius, « scis, te sentire et cognovisse ea, quæ credis te sentire et cognovisse ? » « Nobis » inquit chemicus, « philosophis naturalibus sunt rationes severæ, quibus cogitationes tentamus. » « Quod ut faciatis, » inquit Gaius, « quid instrumenti adhibes ? » « Cerebrum. » « Ipsum scilicet instrumentum, cuius fidem dubitamus. » « Scilicet » inquit chemicus, « non potest fieri, ut certo sciamus, utrum cerebrum fidum an fallax sit, nisi esset mens immaterialis seu mundo absoluta, quæ testimonia cerebri comprobet, sed nulla est. » « Ergo, » inquit Gaius, « quomodo sine dubio scis, reum id fecisse, cuius insimulatur ? » Iudices indignos aliquid respondere nequicquam contendentes Gaius interpellavit et « Carolus Darwin » inquit, « dixit, nos non posse quin dubitemus, an id, quod persuasum habeat ea mens, quæ animalibus inferioribus nata est, sit fidum, et quæsivit ille, an quisquam persuasionibus simii confidat ? » Gravissimum nomen Darwinianum iudices murmurantes compressit.

Iam existimabam me absolutum iri, sed non quemadmodum volui. Causam enim Gaius meam tanto superiorem, et cognitionis humanæ tanto inferiorem dicendo reddebat, ut fere sperarem iudices inventuros quomodo me sine dubio convincerent. Et quamvis libenter præviderem, me impunitum dimissum iri, tamen verebar, ne mea mentis humanæ fiducia capit is damnaretur. Tum physicus « consuetudo » inquit « huius iudicij habet, nos cognovisse quæ cognoverimus. Quod nisi acceperis, curabo, ut numquam in iudiciis verseris, nec referet, quæ te schola admittat. » Hæc cum audivissent, ceteri iudices sedibus incompositi erubuerunt, quod physicus flagitiose conaretur

advocato metum iniicere. Gaius tamen nequaquam commotus, « nolo » inquit, « o iudices, foro excludi. Huic igitur argumento non insto. » « Optime, » inquit physicus. « Dic ergo nobis, an quicquam habeas quo causam defendas. » « Habeo, » inquit Gaius. « Assevero quidem reum, si probationes eripuerit, facinus non sua sponte commisisse, sed vi coactum. » « Quis » inquit psychologus ira accensus, « aut quid vi coegit ? » « Explico » inquit Gaius. « Nonne materies æterna existit sola, et rerum universitas est compositio clausa et æquibilitas effectuum et causarum, quæ ferrea legum naturalium necessitate operantur, et omnia in mundo aut necessitate aut forte fiant ? » « Planissime. » « Et nonne homines sunt machinæ multiplices et illius compositionis membra, quorum omnia propria ita nascentur ex illa æquibilitate effectuum et causarum, ut omnia, quæ sentiant et cogitent et decernant, aut necessitate aut forte fiant ? » « Ita puto. » « Si igitur omnia, quæ sentimus et cogitamus et decernimus, aut necessitate aut forte constituuntur, decreta nostra eadem ratione ita constituuntur, ut culpa vacemus. » « At » inquit psychologus, « videmur libero arbitrio agere. » « Si ea, de quibus consensimus, vera sunt, fallimur existimantes, nos libero arbitrio agere. » « At » inquit psychologus, « consensimus, res forte evenire posse. Nonne fors dat ansam liberi arbitrii ? » « Minime. » inquit Gaius. « Nonne enim fors irrationalis est ? » « Est. » « Et eventus irrationalis causa caret ? » « Caret. » « Et nonne eventus, qui causa caret, explicari non potest ? » « Certe. » « Et liberum arbitrium quodam eventus explicat ? » « Ita. » « Ergo reus, si forte fecit, libero arbitrio non fecit. »

Iam physicus iracundia exardescens « legibus » inquit « opus est, ne plebs sæviat. Postulo, ut convincamus. » Ceteri tamen iudices hæserunt et, « convincere, » inquiunt, « nobis non licet. Dubitamus enim de tribus : utrum reus fecerit ; utrum sua sponte fecerit ; utrum, si fecit, scelus fuerit. »

Quod tu multa meres, et quæ tibi multa legantur munera, naturæ studiose, teritque caterva limina discipulum, qui exarat acta diurna, ut referat primus novitates, ostia pulsat, suspicit et te plebs facturum commoda vitæ, et quod Socraticas artes qui præcipit, et qui doctrinam sacram, vix sperant munus egeni, hæcine sunt quare solum te nosse superbus scitu digna putes, et dicas « unica veri noscendi ratio physica est. Primæ fuit ille magnus Aristoteles sophiæ præceptor ineptus ; futiliorque Platon ; ambobus inanior ille

Angelicus Doctor, via namque empirica sola recludit verum. » Tamen hæc non asseris, ut qui naturæ studuit rerum, sed ut ille peritus doctrinis tibi contemptis. Nam more sophorum, artibus ast expers et cognitione sophorum, quod nescis, nec quit physicus cognoscere, firmas. Fines atque modum studiorum disce tuorum, quæ sua non possunt etiam fundamina nosse, nec quid sit verum, iustum, bene vivere, pulchrum, nec quid cor, quid mens, neque utrum sit fabula numen.

Me criminis absoluto, physicus iracundia effervescentis decano persuasit, ut litteris missis rogaret ex præside collegii legalis, ne sineret Gaium cuiuslibet studiosi causam defendere, propterea quod, eo defendantे, nemo cuiusquam criminis convinci posset. Præses collegii legalis, quamquam rogationi obsecutus est, tamen admiratione commotus summos Gaio proxima in convocatione honores decrevit. Is igitur princeps inter condiscipulos et ab una quaque iurisconsultorum sociate maximis præmiis petitus, honestatus est.

Fiducia cultus Physiciensis infirmata, intellexi, si vellem Physiciæ manere, simulandum esse, me credere, existere fidam mundi cognoscendi facultatem, liberum arbitrium, quoddam mores constituendi fundamentum. Cives enim Physicienses se gerebant, quasi ea crederent, quæ nec credebant nec credere potuerunt. Superbi asserebant se verum scire, etiamsi nullam scientiæ confidendi habebant causam ; plurima et iusserunt et vetuerunt, quamvis omni carerent philosophico pretiorum moralium fundamento ; malefactores puniverunt, quamquam non crediderunt, liberum arbitrium esse. Iam cepi, qua de causa pauci, sed tantum pauci, quotidie fugerent in Udeniam. Solum enim pauci Physicienses tali fuerunt animo, ut ea patentius crederent, quæ absconde credebant. At ego, spe larium novorum falsus, animo cadente, menti dubitanti diffidens, facile me coniunxi descendantibus in umbras Udenienses. ■

*Continuabitur*

## DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (I)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

In Europæ regionibus, ubi præpollet auctoritas Papæ Romani, Imperium Romanum Orientale despici solet. Huius mentis bonum exemplum inveni in libro scholari patris mei ;<sup>1</sup> capituli titulus iam est significans : « L'empire grec de Constantinople », Græcum Imperium Constantinopolitanum. Ibi inter alia leguntur hæc : « Postquam Imperium Occidentale continuis barbarorum impetibus deletum est, Imperium Constantinopolis vel Orientis supervixit, sed sine gloria. Magnum territorium, splendor Constantinopolis, aulæ luxuria, minus tamen honesta quam tempore Constantini, speciem maiestatis prospexitatisque afferre poterant ; at speciem tantum, quia imperium irreparabiliter concidebat. Quare idem merito vocatur Infimum Imperium (Fr. *Bas-Empire*). Plerique imperatores non gubernabant ipsi ; eorum loco habendas tenebant feminæ vel indigni ministri gratiosi ; præterea studiosissimi erant rerum theologicarum ac suis disputationibus gentes imperii perturbare non desinebant. »

Solemus Imperium Orientale vocare « Byzantium » ; hoc tamen adiectivum sexto decimo demum sæculo creatum est ab Hieronymo Wolf, humanista historicoque Germano. Imperatores vero Orientales, etiam postquam septimo sæculo lingua Græca facta est lingua officialis, suum imperium perrexerunt vocare Romanum : Βασιλεία ἡ Ρωμαίων. Hostes, quibuscum bellum in Asia indesinenter gerebant, eos etiam vocabant « Rum ».

Cur et quomodo orta sit tanta dissensio inter Occidentales, qui vocabantur Latini, et Orientales, Græcos dictos, ut Constantinopolis anno 1204 a christianis Latinis denique expugnata et direpta sit, intellegere conabimur, sed imprimis in memoriam revocabimus, quando et quomodo Imperium Orientale ortum sit.

Iam a tertio sæculo barbaræ gentes incursiones magis magisque frequentes terribilesque in imperium Romanum faciunt, quare exeunte sæculo imperator Diocletianus novum regimen instituit tetrarchiam dictum : collegam sibi adiungit Maximianum ; hi duo, Augusti vocati, sibi adiungunt duos iuniores, Cæsares vocatos, Constantium Chlorum et Galerium ; singulis eorum pars quædam imperii est regenda et tuenda.

Diocletianus (284-305) sibi reservat orientalem imperii partem, quæ intra tertium sæculum iam compluries separatim gubernata est ; ipse sedem habet Nicomediæ, ad ripam meridionalem Propontidis. Non solum imperium contra extraneorum incursions efficiacius defendit, sed impedire conatur ne imperium illegitime usurpetur, ut tertio sæculo sæpissime factum est. Hunc in scopum deificat personam duorum

Augustorum ; ipse fit Iovius, Maximianus Herculius ; ad divos Augustos colendos in aulam inducit cærimoniæ orientales. Hoc in memoriam revocandum erit, cum de Constantino agetur.

Cæsar Constantius Chlorus, cui Hispania, Gallia et Britannia regendæ sunt, anno 305 legitime fit Augustus, Diocletiano Maximianoque se imperio abdicantibus. Uno tantum anno post, cum in Britannia cum filio Constantino versatur, inopinanter moritur. Constantinus tunc a militibus illegitime proclamat Augustus et inde æmulari incipit cum legitimis tetrarchis. Cur contra tetrarcharum morem christianis favere cœpit ? Cur et quando christianus factus est ? De his quæstionibus multum disputatum est, non sine diversis affectibus sive christianis sive antichristianis. His novissimis triginta annis historici hoc studium renovaverunt.<sup>2</sup>

Vix credere possumus virum omnipotentiæ cupidum, adversariis implacabilem, qui proprium filium Crispum<sup>3</sup> interficiet uxoremque Faustum in balneo suffocari iubebit, allici posse benigna Iesu prædicatio-ne. Anno 311 Maximianum, cuius filiam Faustum uxorem duxit, Massiliæ capit et interficit. Interea Maxentius, Maximiani filius, se Romæ illegitime proclamat imperatorem. Constantinus eum aggredi statuit. Ambo sunt imperatores illegitimi, qui, ut priores Augusti, divino fulcimento egent. Maxentio emulo-mento est sedem Romæ habere ; ibi enim sunt maiora tempa omnium deorum, quos sedule colit, quamquam ipse christianis non est infestus. Res mira, cum instet christiana imperii mutatio, eius iussu ædificatur non solum ingens basilica, sed etiam maximum totius Urbis templum Veneri et Romæ dicatum.

Quem deum conservatorem invocare potest Constantinus, quo Maxentium superet ? Iam anno 310 Apollinis visionem habuit, sed eius tutela non valet contra Maxentium. Oportet habeat deum omnipotentem universalemque, omnibus Romæ deis superiorem. Itaque christianorum deum eligit audacter. Nam christiani in imperio tunc multo pauciores sunt quam ceteri traditos deos colentes, quattuor aut quinque tantum centesimæ partes, secundum recentem criticam historicam.<sup>4</sup>

Usque ad finem secundi sæculi lentissima fuit christianismi diffusio ; diu vix distinguebatur a Iudaismo. Tertio tamen sæculo progressio paulo celerior fuit, sed solum in certis regionibus, quæ sunt Asia Minor, Syro-Palæstina, Ægyptus et præsertim Africa septentrionalis, ubi fere decima incolarum pars ineunte quarto sæculo videtur esse christianizata. Item Romæ, sed non in reliqua Italia, nec in Gallia, ubi perpauci

sunt. Pauci etiam in Hispania, ubi omnes episcopi sedent in meridionali parte.

Audax ergo est Constantinus, cum christianorum deum sibi eligit, cuius nomen omnibus tamen notum est præsertim propter persecutio[n]es. Hodierna critica historica, depositis affectibus christianis vel antichristianis, affirmat Constantimum anno 312 factum esse christianum; novo vexillo tum exercitum ornavit, « labarum » vocato, ubi crucem suæ visionis imposuit cum verbis « In hoc signo vinces ».

Eius fides confirmatur victoria in Ponte Milvio reportata et morte Maxentii. Locus hic non est argumentorum exponendorum, quibus nititur critica; unum tamen afferro. Arcus Constantini, qui iuxta amphitheatum Flavium adhuc stat, anno 313 erigi cœptus est atque anno 315 est inauguratus. In eius dedicationis textu legitur hoc: « Quod instinctu divinitatis rempublicam ultus est ». Nullum dei nomen apparet, solum incertum vocabulum « divinitas », quo senatus, dedicationis auctor et traditæ religionis cultor, nomen novi imperatoris dei celat.

Anno 324, ultimo æmulo Licinio, qui Orientem gubernabat, devicto, Constantinus totum imperium solus regit. Curat ut forma christiana ei detur, respetatis tamen plurimis traditorum deorum cultoribus, et sine mora Byzantium eligit, quod Novam Romanam imperique caput fiat. Autumat imperium sibi datum esse a christianorum deo; dicit se Christi visionem habuisse, quasi sit apostolus; titulum sumit, qui est « isapostolos », et ecclesiam duodecim apostolorum Constantinopoli curat condendam, ubi sepeliri vult inter cenotaphia duodecim apostolorum. Constantinus sic iacit fundamenta Orientis Imperii Christiani, quod exeunte quarto sæculo perficiet Theodosius, omnem religionem tollens præter christianam orthodoxam.

Constantinus, qui iam annis 311-317, potentibus christianis, contra Donati sectatores in Africa egit, comperit christianos divisos esse, præcipue Arii doctrina. Cum sibi persuasum habeat religionem christianam imperio emolumento non esse nisi cohærentem, operam dat ad christianos conciliandos et imprimis suum consiliarium de rebus religiosis, Ossium, Cordubæ episcopum, Alexandriam mittit, ut episcopum Alexandrum reconciliet cum Ario. Quod cum frustra temptatum sit, concilium episcoporum totius imperii Nicæam anno 325 convocat. Inter ducentos et viginti participes, solum quinque veniunt e parte occidental; Sylvester I, Romæ episcopus, non ipse venit, sed duos mittit legatos.

In orbe christiano episcopi sunt præpollentes, eo magis quo præstantior est urbs ubi sedent. Sic fit ut

ecclesiæ Alexandriæ, Antiochiæ, Hierosolymorum et Constantinopolis se erigant in patriarchatus, in quorum singulorum iurisdictione sunt complures provinciæ. Insuper Alexandria et Antiochia habent colorem ethnicum, Copticum scilicet et Semiticum. In Occidente contra non oriuntur complures patriarchatus et sola respicitur auctoritas episcopi Romani, Petri scilicet apostoli sedis; de doctrinæ subtilitatibus ibi vix curatur. Iam tunc apparent diversitas inter partem Occidentalem et Orientalem imperii.

Ægyptus illius temporis non pertinet ad orbem Hellenicum; maior populi pars non est hellenizata, sed Coptice loquitur. Ibi religio christiana aliquid novi inducit. Idem euangelium prædicat et optimatibus et pauperrimis, cum tradito more soli locupletiores exculti philosophia et mysteriis fruantur. Itaque ad euangelium diffundendum patriarchatus Alexandriæ linguam Copticam neglegere non potest; sic fit ut quarto sæculo tradita scriptura demotica a hieroglyphis orta relinquatur eique succedat novum alphabetum maximam partem Græcum; tunc initium habent copiosæ christianæ litteræ Copticæ.

Idem evenit Antiochiæ, in capite provinciæ Syriacæ, cuius hellenizatio etiam est superficialis; ibi adhuc viget fundus Semiticus; non solum lingua Aramæica non disparuit, sed, cum anno 132 in margine imperii creatur regnum Osroenæ, Semiticus dialectus Edessæ, eius urbis capitinis, fit regni lingua officialis. Sic nascitur lingua Syriaca, quæ tertio sæculo a christianis adhibetur; tunc Sacra Scriptura in Syriacum transfertur et florente incipiunt litteræ Syriacæ.

Hellenismus tamen non ubique recedit. Cappadocia, exempli gratia, quæ etiam vix est hellenizata, ineunte quarto sæculo a Gregorio Thaumaturgo convertitur ad christianismum, id quod hellenismo provehendo maxime prodest.

In his patriarchatibus oriuntur scholæ theologicæ, quarum cogitationes non raro inter se discrepant, quod non mirum est cum agatur de doctrina tam intricata. Antiochiæ episcopus Lucianus, qui anno 312 inter christianorum persecutionem excruciatu[s] necatusque est a Maximino Daia, uno e Constantini æmulis, videtur opinione de Trinitate induxisse, quas eius discipuli Eusebius, Nicomediæ episcopus, et Arius, sacerdos Alexandrinus, verbis exprimunt et palam divulgant. Hi autem Verbum, Dei filium, Deo patri non esse consubstantiale (ομοούσιον). Arius ab anno 312 suam prædicat doctrinam et, quamquam anno 318 ab Alexandriæ episcopo Alejandro excommunicatur, arianismus late disseminatur per Orientem.

In concilio Nicæensi disputatio doctrinalis habetur

inter Græcos, quæ præcipue spectat ad naturam Verbi, Dei filii ; alii autem Filium eiusdem substantiæ (ὅμοούσιον) esse ac Patrem, alii, inter quos Eusebius Nicomedensis et Arius, dicunt eum solum esse e simili substantia factum (ὅμοιούσιον) et creatum. Hæc differentia magni momenti est in ædificio doctrinali ; nam si Filius Patri par non est, tunc ruit notio divinæ Incarnationis. Post multos menses disputationis, Constantino iubente, tandem fit consensus, Symbolum Nicænse vocatus, ubi affirmatur consubstantialitas Patris et Filii. Tres tantum, inter quos Arius, cum « ne iota quidem » concedere velint, excommunicantur et in exsilium pelluntur.

Constantinus, qui se habet Dei vicarium in terra, omnes episcopos arianos expellit, quibus succedunt cleri Symbolo Nicænse assentientes et inde orthodoxi vocati, i.e. rectam doctrinam profitentes. Arianismus tamen non est victus. Eusebius Nicomedensis, qui arianismi fautoribus indulgere pergit, imprimis in Galliam relegatur, sed iam anno 328 suam sedem episcopalem recuperat, intercedente Constantia, Constantini sorore. Sic fit ut arianismus se in ipsam aulam Constantinianam insinuet. Ipse Constantinus, qui maximam operam dedit ut omnes christiani consentirent, in articulo mortis Nicomediæ baptizatur ab ariano episcopo Eusebio.

Paulo post Eusebius creatur patriarcha Constantinopolis a Constantio II, Constantini successore (337-361), qui arianis favet. Tunc arianismus videtur præstare, in Oriente quidem, cum Antiochia, Alexandria et Constantinopolis episcopos arianos habeant. Hæc doctrina etiam diffunditur apud gentes barbaras, ab episcopo Ulfila. Avi huius viri erant Cappadocii hellenizati, qui exente tertio sæculo capti sunt a Gothis incursantibus et in eorum regnum deportati. Ulfila, in ripa Ponti Euxini natus, cum et Gothicam et Græcam linguam calleat, legatus mittitur Constantinopolin, ubi Eusebius eum ad arianismum convertit et episcopum consecrat anno 341. Inde fit Gothorum apostolus atque ad Sacram Scripturam in linguam Gothicam vertendam idoneum conficit alphabetum. Gothorum, deinde Vandalorum, Burgundiorum et Langobardorum conversio ad arianismum quarto sæculo facta pessimos effectus habebit, cum hæ barbaræ gentes in imperium occidentalem irrumperent, cuius incolæ Symbolo Nicæensi firmiter adhærent.

Constantino anno 337 vita functo, initium imperii christiani est satis crudele. Cum successorem non designaverit, multi sunt heredes, non solum enim tres filii, quos habuit ex uxore Fausta, Constantinus Iunior vel II, Constantius II et Constans, sed etiam tres filii, quos eius pater Constantius Chlorus habuit ex uxore

Theodora, Flavius Dalmatius, Hannibalius et Iulius Constantius. Hi tres odio erant Helenæ, matri Constantini, dum vivit (est autem circa a. 335 defuncta), et longe a Constantinopoli relegati sunt ; postea Constantinus eos revocavit eisque munera magis honorifica quam utilia dedit.

Constantini autem filii, qui inter se æmulantur, ad hoc unum consentiunt, ut filii avi Constantii Chlori de medio tollantur. Per opportune Eusebius Nicomedensis prætextum affert : se filiorum Constantii Chlori coniurationem detexisse. Qui a militibus continuo trucidantur ; interfectores solum duobus parvulis pueris parcunt, Gallo et Iuliano, <sup>5</sup> Iulii Constantii filiis.

Primum Constantini filii imperium inter se dividunt. Constantius II Orientem regit, ceteri duo Occidentem. Constantino Iuniore iam anno 340 mortuo, Constans totum Occidentem gubernat et orthodoxiæ favet, Constantius II contra arianismo. Magnentius, imperii erector, Constantem vincit necatque atque Romæ sedens traditam religionem restaurat. Duabus tantum annis post, idem a Constantio II Mursæ in Pannonia victus sibi mortem consciscit. Magno imperii damno in hac interneciva pugna perierunt optimæ militum copiae.

Ab anno 353 Constantius II totum imperium solus regit. Longe abest ut religio christiana pacem civilem imperio attulerit. Ipse imperator eiusque familia Symbolum Nicænse, iussu et auspiciis Constantini panctum, respuunt hæreticisque arianis favent ; ubique episcopi ariani instituuntur.

Athanasius, Alexandriae patriarcha, cum nondum esset episcopus, magni ponderis fuit in Nicænibus disputationibus, sed postea iam excitavit iram Constantini, qui eum Augustam Treverorum misit exsulem. Ad sedem suam Alexandrinam reversus etiam multo magis Constantio II displicet, cum vehemens orthodoxiæ propugnator maneat. Constantius II duo concilia vicissim convocat, Arelate et Mediolanum, quibus Athanasius condemnatur ; de sede sua Alexandrina iterum expulsus, ad sedem episcopalem Romanam se confert... et linguam Latinam discit.

Usque ad quartum sæculum Romani exculti etiam Græce sciebant, sed ab eo tempore magis magisque rari facti sunt ei, qui hanc linguam callent ; Augustinus, inter alios, secundus pater Ecclesiæ Latinæ, Græce parum scit. Lingua ecclesiæ in Occidente, imprimis in Africa, facta est Latina ; tunc incohatur multorum operum translatio e Græco in Latinum.

Constantius II ad Romanum episcopum Liberium mittit legatum, qui eundem sibi conciliet. Quo frustra

facto, episcopum ad se Mediolanum vi transferri iubet ut coram disputent. Liberius tamen non solum orthodoxiam relinquere non vult, sed insuper imperatorem ita maledictis vexat, ut statim exsul in Thraciam mittatur. Pars vero Occidentalis imperii orthodoxiam colere pergit, dum tota fere Orientalis, Constantii II opera, se ad arianismum convertit. Sunt tamen nonnullæ sectæ, quarum una a Macedonio, Constantinopolitano episcopo, inducta « pneumatomachorum » vocatur, quod non solum Filii, sed etiam Spiritus Sancti divinitatem logicce negant.

Non obstantibus hæresibus, inter Constantii II regnum viginti quattuor annorum religio christiana magnos fecit progressus, præsertim in Oriente. Tunc accidit aliquid inexpectatum. Iulianus, cuius tota familia a Constantini filiis trucidata est et qui longe ab aula in Asia Minore sequestratus adolevit, a Constantio II Constantinopolin præter exspectationem arcessitus et Cæsar factus statim in Galliam mittitur ad incursantes barbaros repellendos. Quo munere sex annos bene fungitur ; sedem habet Lutetiæ Parisiorum, ubi linguam Latinam discit. Anno 361, Iuliani milites, qui a Constantio II in Orientem vocantur, ei parere nolunt et Iulianum proclamant Augustum. Instat iterum bellum civile, sed Constantius II necopinato moritur et Iulianus solus imperator intrat Constantinopolin.

Eusebio Nicomedensi curandum erat ut Iulianus puer religione christiana, necessario ariana, imbueretur, sed hoc e longinquo fecit, ita ut Iuliano licet in philosophiam neoplatonicam incumbere ; ad hanc scientiam augendam Athenis studebat, cum Constantius II eum Constantinopolin arcessivit. Iulianus religionem christianam non amat, cuius sectatores vocat « Galilæos », sed tamen non est omnimodo rationalista ; sincere enim devotus est traditis deis. Statim ac toto imperio potitus est, maximam tolerantiam instituit erga omnes religiones, etiam Iudaicam ; sinit quoque Iudæos templum Hierosolymitanum reedificare, qua re valde irascuntur christiani. Tolerantia tamen non impedit quin Iulianus traditis cultibus maxime faveat eorumque templo restauret. Insper intellexit unam e causis christianismi successus popularis in eo esse, quod ministri pauperes adeunt, consolantur et adiuvant ; quare instanter suadet ut sacerdotes traditorum cultuum idem faciant ; ipse præbet modestiæ et animi moderationis exemplum. Breve est Iuliani regnum, cum iam anno 363 inter bellum Persicum pereat, dicens, ut fama fert : « Vici Galilæ ! ».

Iuliani regnum cum breve sit, christianismi diffusionem non tardat. Plebs illius ætatis non miratur eius novam doctrinam. Ei etiam solacio est credere non

solum vitam æternam sibi promitti, sed etiam paradisum cælestem imprimis pauperibus miserrimisque patere. Tempus nondum est, quo socialismus bona terrestria omnibus promittat.

Iuliano interfecto, dum exercitus se recipit, præpositi imperatorem eligunt Iovianum christianis faventem, qui pacem a Persis statim petit ignominiosaque condiciones accipit. Iam uno anno post moritur atque ei succedit Valentinianus I (364-375), ab exercitu electus. Is, censens imperium nimis magnum esse quam ut ab uno gubernetur, sibi consociat fratrem Valentem (364-378), qui Orientem regat. Valentinianus, miles rudis, est christianus, sed omnium incolarum opiniones religiosas respicit. Ubique ei est bellandum ; victor repellit in Caledonia Pictos et Scotos, in Africa Mauros, ad Danuvium Quados et Sarmatas.

Eius filius Gratianus (367-383) Augustus anno 367 factus est a Valentiniano ægrotanti. Multum favet Damaso I, episcopo Romano, atque ab anno 382 contra cultus traditos repugnat. Primus imperator est, qui Pontificis Maximi titulum respuat.

Valens in Oriente magnas difficultates habet cum Gothis ; imprimis sinit partem eorum Danuvium transire et Mœsiam pacifice incolere, ut fiant foederati, sed paulatim dissensiones oriuntur et foedus rumpitur. Postquam Goths duos annos Moesiam et Thraciam populari et diripere non desinunt, Valens, qui Antiochia bellum contra Persas parat, Gothos aggredi statuit et in Europam transit cum maximo exercitu, cuius nucleus constat e septem legionibus ; notandum est inter copias auxiliares iam esse equites Arabes. Auxilium etiam a Gratiano petit, sed eius copias non exspectat et haud longe ab Hadrianopoli prælium committit cum Gothis (a. 378). Fit maxima clades. Gothorum Victoria præsertim eorum equitatui est tribuenda.

Postea Romanorum exercitus neque habuit eandem frequentiam neque e legionibus constitut, sed e minoribus manibus « limitaneorum » ad limitem tuendum aptis, sed plerumque e barbaris foederatis constantibus. Hi pendebant a castello, cui præerat « dux » et ubi erant milites « comitatenses » parati ad auxilium quocumque ferendum. Ab eo tempore etiam equitatus maioris momenti factus est quam peditatus. Nonnulli historici hanc mutationem habent pro initio Medii Ævi.

Post Hadrianopolis cladem, Gratianus de Valentis successione statim curat atque unum e præfectis exercitus eligit, Flavium Theodosium (378-395) ex Hispania oriundum, quem Augustum anno 379 nominat. Hic anno 380 Constantinopolin intrat fide Nicæensi imbu-

tus, sed in hac urbe Nicaeenses ne unum quidem fanum habent. Theodosius arianum patriarcham statim expellit et in eius locum designat Gregorium Nazanzenum, Cappadocium et strenuum Nicæensis doctrinæ fautorem, i.e. consubstantialitatis Patris et Filii.

Anno 381 Theodosius concilium Constantinopolin convocat, insciente episcopo Romano, Damaso I; solum intersunt episcopi Orientales Græce loquentes, numero circiter quinquaginta. Plurimi participes non solum Symbolum Nicæense comprobant, sed propter Macedonii sectam pneumatomachorum dilucidius quam Nicææ exprimunt dogma Trinitatis, quo affirmatur Spiritus Sancti quoque divina consubstantialitas. Concilium etiam primatum honorificum patriarchatus Constantinopolitani agnoscit, id quod Damaso I valde displacebat, etiamsi Romæ primatus historicus agnoscitur.

Hieronymus Stridonensis, Occidentalis, cui fortuito licuit concilio Constantinopolitano interesse, Græcorum scientiam theologicam tunc valde miratus est. Inde statuit se totum dedere Sacræ Scripturæ Latine explicandæ, ut sui populares scientiam Hebræorum Græcorumque participare possint. Imprimis, petente Damaso I, Sacræ Scripturæ textum Latinum, c.t. Vetus Latina, retractat. Postea linguam Hebraicam in Palæstina discit, ut veritatem querere possit in textibus præcedentibus translationem Græcam, quam Latini vocant Septuaginta. Hieronymus habetur primus e Patribus Ecclesiæ Latinæ.

Theodosius I, cum imperator fit, iam non habet exercitum ad Goths profligandos idoneum. Itaque eos potius extenuat rixas inter tribus excitando; regressum infestissimarum ex eis, tributum solvens, obtinet atque Ostrogothos Pannionam incolere sinit. Anno 382 cogitur Visigothos quoque in Mœsiam recipere. Hæc est catastrophe; nimis enim frequentes fiunt barbari citra Danuvium viventes; tot mox numerantur in exercitu, ut imperator eum vix possit regere.

Lues, quæ a tertio sæculo vires imperii Romani magis magisque extenuavit, civilia scilicet bella inter competitores imperii avidos, neque tetrarchiam instaurando, neque christianismum adoptando extingui potuit. Theodosii regnum non fuit exceptio.

Anno 383 præpositus Britanniæ exercitus, Maximus nomine, a militibus imperator proclamatus, in Galliam descendit; copiae Gratiani, legitimi Occidentis imperatoris, ad eum transgrediuntur; Gratianus fugatur interficiturque. Tunc Theodosius, bello Gothicō impletus, cogitur Maximum Britanniæ, Galliæ Hispaniæque imperatorem agnoscere.

Interea Valentinianus II, Gratiani frater et

Valentiniani I iunior filius, regit Italiam Africamque septentrionalem; cum tantum duodecim annos natus sit, eius mater Iustina tenet habenas; ipsa est ariana et valde rixatur cum Ambrosio, Mediolani episcopo, sed etiam bonam consuetudinem habet cum traditi cultus fautoribus, ut Symmacho et Prætextato.

Anno 387 Maximus in Italiam irrumpit; Valentinianus II cum matre Constantinopolin fugit. Antequam eos ulciscatur, Theodosius eorum conversionem ad orthodoxiam exigit. Quo facto, anno 388, Theodosius cum exercitu ex equitibus Alanis, Hunnis Gothisque constante Maximum aggreditur eiusque exercitum Gallorum Germanorumque profligat; Maximus trucidatur. Theodosius Italia potitur ac nonnullos annos Mediolani residet, dum Galliam Valentiniano II relinquit.

At hic non est finis illicitæ competitionis. Anno enim 392, Arbogastes, Francus magister militum in Occidente, interfecto Valentino II (a se ipso aut a quodam sicario), totam potestatem habet in Occidente, sed, cum Romanus non sit, imperator fieri non potest. Eligit ergo magistratum Romanum, Eugenium nomine, qui suo loco imperator a Senatu nominetur; vir, quamvis christianus, bene congruit cum traditi cultus fautoribus, qui plurimi sunt in senatu. At Theodosius vult suum filium Honorium, novem solum annos natum, Occidentis imperatorem fieri. Instat iterum bellum civile. Arbogastes victus se gladio occidit atque Eugenius interficitur. Hic est finis Senatus Romani repugnationis contra imperii christianizationem.

Tunc demum, uno anno ante obitum, Theodosius solus totum imperium gubernat; hoc numquam postea iterum fiet.

Theodosius I est primus imperator, qui religionem Christianam in toto imperio vi imponit. Anno 380, edicto Thessalonicensi proclamatur fidem ab apostolo Petro Romanis traditam accipiendam esse omnibus imperii gentibus; eodem edicto primum agnoscitur primatus episcopi Romani, cui necessarie favet imperator ex Occidente oriundus. Exercitus eorum vitæ pericolo curat ut ariani se ad fidem Nicæensem convertant; eorum ecclesiæ delentur, libri comburuntur. Intra quindecim annos regni Theodosii I, singulis annis apparent edictum hæreticis persecutum. Anno 385 discipuli hæretici Priscilliani capite primi damnantur propter hæresin.

Anno 389 dies Solis fit dies Dominicus, quieti deditus; etiam dies festi christiani traditis festis substituuntur.

Ab anno 390 homosexuales in rogum imponuntur. Cum propter hoc edictum Thessalonicæ apprehensus

sit dilectissimus auriga, tumultus oritur in quo per-eunt nonnulli regiminis ministri. Tunc Theodosius iratus, postquam incolas ad ludos blande invitavit, milites in amphitheatrum mittit, qui septem milia spectatorum gladio trucidant ; tanta est huius stragis crudelitas, ut Ambrosius, Mediolani episcopus, publicam pænitentiam a Theodosio exigat.

Anno 392 religio christiana omnibus imperii incolis obligatoria facta est ; cultus traditorum deorum aperte vetatur. Tunc exardescit christianorum odium in traditum cultum ; templa diripiuntur ; Alexandriæ, ut exemplum afferamus, Serapeum a plebe spoliatur et deletur ; ibi condita erant quadraginta milia voluminum, quorum omnia cum fide christiana non congruentia igne delentur. Statua Victoriæ de senatu Romano tollitur, neglectis Symmachi monitis.

Anno 393 ludi Olympici, quos Ambrosius impios habet, tolluntur.

Eodem tempore Romæ sedet papa Siricus, Damasi I successor. Ille primus est, qui se papam vocet, ut pateat eum ceteris episcopis præesse. Idem anno 386 edicit cælibatum sacerdotibus et diaconis servandum esse ; paulo post feminis iam non licet fieri diaconis.

Eisdem temporibus Martinus Turonensis Galliam peragrat cum manu incultorum monachorum, qui monumenta pristinæ religionis delent paganisque religionem christianam inculcant.

Exeunte quarto sæculo scena mundi funditus mutata est. Antiquus cultus civilis vi suppressus est ; in longum ævum iam non licebit libere cogitare. Tutelaris exercitus Romanus etiam disparuit ; milites enim Romani ibi pauciores facti sunt quam barbari foederati, qui minus minusque respiciunt regimen imperii. Mutatione a Constantino incohata atque a Theodosio perfecta instauratur Orientale Imperium Christianum. ■

1. Abbé Gagnol, *Histoire du Moyen Âge*, Paris, Veuve Ch. Poussielgue, 1903.

2. Cf. Yves Modéran, *L'empire romain tardif, 235-395*, Paris, Ellipses, 2003.

3. Crispus, primus Constantini filius, quem habuit ex concubina Minervina.

4. Yves Modéran, *op.cit.*

5. Gallum, maiores natu, peperit Galla, prima Iulii Constantii uxor ; Iulianus, futurus imperator, filius est secundæ uxor, Basilinæ.



*Pars Constantini statuæ olim in Maxentii basilica positiæ, nunc autem in aula Aëdium Conservatorum.*

# DE INFERIORIS NOTÆ HYPOTHECIS

## (QVAS AMERICANI VOCANT ‘SUBPRIME’)

– *scripsit Paulus Kangiser –*

**I**nter tot timores, quos Gaius Licoppe in superiore Melissa nobis rettulit, defuit maximus timor qui nos his diebus sollicitat ; res enim nummariæ, quæ ob hypothecas inferioris notæ in summo discrimine ubique sunt, œconomiæ mundanæ periculose minantur exitio.

Hæ adversæ res, quæ nunc plerasque nationes affi- ciunt, initium habuerunt anno circiter 2001 cum Ærarium Fœderale, Americanarum Fœderatarum Civitatum argentaria centralis,<sup>1</sup> fenus in pecunia mutuanda usque ad centesimam partem (1 %) minuere decrevit ; inde multi cives, qui domum sibi comparare nondum potuerant, minuto fenore, eam pecunia credita facile emerunt ; itaque, quoniam emptores plures in dies fiebant, et domorum pretium augebatur et plus pecunia ex argentariis sumebatur, hypotheca tamen de solvendo interposita ; argentarii – ut scitur – pacto fenore ex privatis depositoribus pecuniam accipiunt, quam postea mutuantibus tradunt fenore auctam.

Nuper argentarii mutuantibus magis labentibus pecuniam dare coeperunt, qui pecuniam aut difficile aut interdum non restituerunt. Horum novissimorum debitorum plures in dies in magno discrimine fuerunt, cum artificium non continententer exercerent neque idcirco mercedem menstrualem acciperent. Ab eis argentarii maius fenus postulabant, quia maximum in iis periculum instaret. Præterea, cum undique domus in dies plurimæ struerentur magnoque venum darentur, argentarii cupiditate inducti decreverunt pecuniam sub hypotheca commodare maiorem quam ipsius domus pretium ; inconsulto enim ac leviter duxerunt pretium ædium, quas isti debitores sibi comparabant, posthac auctum iri, et re vera aliquot annos auctum est.

Hæ labentium hypothecæ inferioris notæ nuncupantur propterea quod ab eis optimæ notæ eo differunt, quod his minimum est non solvendi periculum, illis vero est maximum. Argentarii etiam temerarie putaverunt hos labentes debitores, cum res œconomicæ Fœderatarum Civitatum prosperæ viderentur, si munus perderent novum munus cito inventuros esse. Debitores vero, qui maiorem pecuniam mutuam accipiebant quam domus pretium, reliquam partem impenderunt in autocinetum emendum vel in iter oblectatorium cum suis faciendum. Cum autem argentarii tantam pecuniam mutuam sub hypothecis dedissent, ut ipsi carerent, pecuniam ab extraneis argentariis petiverunt, qua commodare pergere possent. Itaque argentarii vel Europæi vel Asiatici vel alii pecuniam, quam a domesticis depositoribus accipiebant, in Fœderatorum Americanorum hypothecas transtulerunt ; neque hi debitores sciebant pecuniam, quam acceperant

mutuam, a depositore extraneo traditam esse, neque extranei depositores sciebant pecuniam suam Fœderato Americano debitori labenti datam esse mutuam ; mundalizatio enim multa beneficia affert sed etiam pericula, quæ sunt vitanda.

Cunctæ argentariæ reguntur Legibus Basileensibus, quæ in nationibus bene constitutis vigent ; his legibus monetur ne ulla argentaria pecuniam det mutuam nisi certam capitalis sui partem in arca habeat (si 20 partes in arca servant, non plus quam 100 possunt mutuam dare). At quoniam Americani argentarii capitale proprium fere totum mutuum dederant, quippe qui ab extraneis quoque pecuniam accepissent, patet eos Legibus Basileensibus non obtemperavisse ; pecuniam enim mutuam maiorem dederant quam licitum erat ; quid igitur eis tunc erat agendum ? Facile fuit ; hoc effugio usi sunt, quod vocatur « titulatio » et sic fit : fasces confecerunt, quorum denæ partes constabant ex hypothecis mixtis, optimæ et inferioris notæ scilicet ; hi fasces venum dabantur eo consilio ut, nova pecunia accepta, ratio inter capitale et debitum denuo Leges Basileenses respiceret ; at quis hos fasces emere cuperet ? Facile fuit, nam Fœderatarum Civitatum argentarii societates condiderunt, quæ argentariæ non erant et idcirco Legibus Basileensibus non obligabantur ; his autem continebantur fasces mixtarum hypothecarum, cum earum optimæ notæ, quæ minus fenus gignebant, tum earum inferioris notæ, quæ maius ; istæ ergo societates eas titulationes emerunt.

Scire oportet hæc omnia prospera fuisse, dum labentes debitores debita solverunt domosque ab hypothecis tempori liberaverunt ; attamen, quoniam cuiusque rei vel mercaturæ pretium continuo sempiternæ augeri non potest, anno 2007 ineunte, domorum valor ita deminutus est, ut debitores invenirent se maius pretium quam domus valorem soluturos esse ; itaque alii decreverunt se non amplius soluturos esse, alii re vera solvere non potuerunt ; exinde nullus iam eorum fascium emptus est et depositores, qui pecuniam fenerati erant, compererunt suum capitale esse deminutum : qui centum dederat nunc vel sexaginta recuperare fortasse poterat ; exinde quærendum erat ubinam ista omnis pecunia hypothecarum auctoritate cauta, quæ in fascibus includebatur, lateret ; sed nullum responsum adhuc datur, nemo enim id scire potest.

Ex his rebus nonnulla sunt colligenda :

i. Participes societatum supradictarum, quæ fasces cum hypothecis mixtos emerant, compererunt valorem suarum partium in societate deminui, cum debitores iam pecuniam debitam non redderent.

2. Argentariæ – quoniam ubi sit pecunia ignoratur – invicem diffidenter sese gerunt ; nemo enim de pecunia iam desperdita conscius esse potest ; exinde argentariæ pecuniam fere nemini credunt ne hypothecis quidem cautam ; exinde ii, qui domos venales struxerant, eas vendere nequeunt et, quoniam capitale suum non recuperant, expensas quoque reprimunt, operariosque dimittunt.

3. Exinde multi, qui antea expensas amplas ubique facere poterant, nunc plerumque parsimonia utuntur et ita porro : qui se proventum habituros esse sperabant, minimum aut nullum redditum accipient.

4. Qui hæc omnia perverse egerunt insontes videntur esse inultique discedunt ; nullam enim legem violaverunt.

5. *Œconomica* denique recessio ex his omnibus rebus iam oritur et maximum periculum *œconomicæ* minatur ; nam multi politici cogitant de argentariarum agendi facultate restringenda, ne hypothecarum inferioris notæ casus iterum accidat ; at *œconomia* non potest progredi nisi libertate fruens ; quæ enim, si adeo circumscribitur ut commercium lædatur, omnia peius evenient ; si contra nulla lex ad res *œconomicas* moderandas pangitur, novas fraudes fortasse aliqui falaces negotiatores invenient.

6. Correctiones, quibus hæc res egent, non sunt ædem in omnibus nationibus, quæ differunt pecuniæ

valore sive inflatione et institutis *œconomicis* et divitiis cumulatis et incrementi ratione ; itaque eadem correctio aliis benefica aliis nociva fieri potest. Id autem plerumque ad *œconomiam* firmandam convenit, vectigalia minuere ; sperandum nobis est viros politicos cuiusque nationis tempora penitus intellecturos esse legesque ad casum domesticum idoneas approbaturos.

7. Si maxima restrictio legibus novis imponeretur, duplex exitium haberemus : atque *œconomicam* recessionem, quæ iam adest, atque deminutam libertatem, qua tamen nihil est potius ad commercium agendum, operarios mercede conducendos, inceptaque *œconomica* fovenda ; inde prudentia legislatoribus in hac re adhibenda est, ne sanciantur restrictiones nocivæ neve tamen fraudandi licentia exstet ; præterea, antequam novæ leges panguntur, oportet servare atque complere eas, quæ nunc vigent (vel Basileenses).

8. *Œconomia* idem est ac columba manibus retenta : si eam stringimus morietur, si solvimus avolabit ; attamen potius est eam avolare quam mori, nam fugitivam possumus brevi tempore capere et ad normas redigere ; mortuam, nisi post multos annos possemus in frugiferam actuositatem revocare. ■■■

---

i. Federal Reserve.

## DE INTERPRETATIONE

*– scripsit Alanus Van Dievoet –*

Quidam celeber sacerdos, insignis præcipue petaso rotundo atque barba prophetica, magis tempus videtur terere in Alcorano legendō et obtrectando quam in Euangeliō et Sanctis Litteris descendis et docendis.

Iste enim videtur nunquam legisse hæc verba Iesu quibus monet auditores, ne videant festucam in oculis aliorum cum non videant trabem in oculis suis.

Etenim in Biblia etiam, ubique inveniuntur facinora quæ videntur nobis crudelia necnon verba minime dulcia contra hostes Dei. Alcoranus, qui postea venit, hac in re traditionem biblicam religiose secutus est !

Sed ad Alcoranum bene intelligendum, necesse est ut sciat aliquis proclivitatem animi, indolem et cultum

civilem gentium anatolicarum, quibus, id quod nobis videtur exaggeratio et exaltatio, aliud nihil est quam mos et ars scribendi poeticus.

Dolendum est quod in nostro mundo, pacis cupidissimo, inveniantur theologi qui non pacificare et adunare sed separare velint homines inter se.

Magnus Erasmus e contra Muslimos semichristianos vocabat !

Nam vera doctrina Alcorani est MISERICORDIA DEI. Ubique hæc sententia invenitur et repetitur : Deus est bonus et misericors. Magna est misericordia Dei erga homines malos et imperfectos. Hæc est vera interpretatio Alcorani, qui liber est misericordia Dei. ■■■

BIBLIOTHECA LATINA

# DE NOVIS LIBRIS

Axel SCHÖNBERGER, *Die Ars Minor des Ælius Donatus. Lateinischer Text und kommentierte deutsche Übersetzung einer antiken Elementargrammatik aus dem 4. Jahrhundert*, Francofurti Mœnani, Valentia, 2008, 201 p.

In eadem librorum serie, cui titulus est « Bibliotheca Romanica et Latina », ab eodem auctore nuper editus est liber 14 Prisciani *Institutionum Grammaticæ* (vide *Melissæ* fasciculum 145). Ecce nunc, simili ratione exposita (i.e. textus Latinus una cum Theodisca translatione, ampio commentario, bibliographia et anastatica redimpressio-ne claræ editionis undevicesimo factæ ab Henrico Keil) et æque docte tractata, Ælii Donati *Ars minor*.

Donatus, qui quarto sæculo floruit, notissimus fuit inter seræ antiquitatis grammaticos, non solum quod sancti Hieronymi fuit magister, sed etiam quia eius opera grammatica et commentarii de Vergilio et Terentio vere apti erant ad usum scholarum. Mediævalibus temporibus Donatus adhuc multum legebatur, ita ut omne enchiridion scholare vocaretur « donat » sive « donet ». Eius *Ars minor* explicat partes orationis, quas modo simplici, ope quæstionum responsionumque, discipuli memoriae imprimunt. *Ars Maior* est magis copiosa atque etiam continet « virtia et virtutes orationis ».

ISBN 978-3-936132-31-3

VIRGILE, *Bucoliques. Églogues I-II-IV-VIII déclamées en latin par Daniel Blanchard*, Lutetia Parisiorum, Calepinus, 2008.

Qui hunc discum compactum auscultat, statim intellegit textum esse a musico, eodemque lyrico, recitatum. Nobis enim offertur recitatio nequaquam artificialis, ut sæpe fit, sed e contrario varia, plena vitæ, rhythmi nec non melodiæ, auribus vere lepida.

Daniel Blanchard non solum artem musicam profitetur, sed linguam Latinam etiam studiose colit Circulumque Latinum Lutetiensem moderatur, cuius participes singulis mensibus convenire solent.

Hic discus inveniri potest apud ipsum editorem : <http://www.calepinus.net>

CDBUC-241008

Leonid Iosifovich TARUASHVILI, *Monimenta antiquæ urbis Romæ ad artes elegantes pertinentia : Itinerarium Latine adumbratum*.

Hoc opus in interreti editum iam est in *Melissæ* fasciculo 143 nuntiatum. Ecce nunc secunda editio aucta et emendata, quam hic, lector, invenies :

<http://archiv.ub.uni-heidelberg.de/propylaeumdok/volltexte/2009/182/>

Atque etiam, quamquam non Latine :

Sybille GROSSE - Cordula NEIS (ed.), *Langue et politique en France à l'époque des Lumières*, Francofurti Mœnani, Domus Editoria Europæa, 2008, 217 p.

ÉRASME, *Louange de la sottise*, traduit nouvellement du latin et annoté par Alain Van Dievoet, Bruxellis, Éditions du Hazard, 2008, 171 p.






# *In hoc fasciculo !*

- De bonis consumendis [G. Licoppe] p. 1  
De Ioanne Alfonso Borelli [V. Ciarrocchi] p. 2  
Peripedemi periegesis (II) [B. Walton] p. 4  
De Romano imperio orientali (I) [G. Licoppe] p. 8  
De inferioris notæ hypothecis [P. Kangiser] p. 14  
De interpretatione [A. Van Dievoet] p. 15  
De novis libris p. 16*

*Imago tegumenti : Giovanni Borelli, De Motu Animalium, 1680.*

---

## NOVUM APUD MELISSÆ DOMUM EDITORIAM



Ubi fuit Portus Itius, unde Cæsar ad Britanniam solvit ?

Etiam ampliores sunt inter doctos disputationes de hac quæstione, quam de situ Alesiae. Gaio Licoppe in mentem venit indagationibus uti, quas Albertus Grisart, vir doctus Cæsaris peritissimus, patienter diligenterque suscepit et ei ante mortem ineditas tradidit. Ille stupens compererat ea, quæ generaliter accipiebantur ut vera, argumentaque, quibus nitebantur, non solum non esse probativa, sed etiam cum textibus antiquis non congruere ; quare integrum quæstionem recognoverat, textibus antiquis imprimis nitens.

Propter Cæsaris concisam dicendi brevitatem singula vocabula pondus suum habent. Hic ergo omnes dispersæ partes, quæ ad duas expeditiones Cæsaris in Britanniam spectant, de Belli Gallici commentariis depromptæ sunt atque inter demonstrationes, explications inventaque insertæ. Addita sunt nonnulla excerpta Ptolemæi, Strabonis et Ciceronis.

Solve, benevole lector, ad Britanniam una cum Cæsare !

Pretium : 15 eur., inclusis sumptibus cursualibus.  
Emi potest apud Melissam.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

Banque ING : 310-0644994-30,

Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430